

EX ARTICULO AUGUSTANÆ CONFESSiONiS
SECUNDO,
De
PECCATO ORIGINIs
Bigam Quæstionum Theologic
CARUM, CALVINIANIS OPPOSITAM,
SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum Reverendi, Magnifici, aetq; Amplissimi

DN. JOHANNIS DEUTSCHMANNI

SS. Theol. Doctoris, & ejusdem Facultatis in Celeberrima
ad Albim Profess: Publ: Celeberrimi, ut & Electora-
lium Alumnorum Ephorigravissimi,

*Domini sui, Patroni, & Praeceptoris filiali cultus
colendissimi,*

Publicæ ventilationi subjicit


M. JOHANNES SCHEDIUS

Torgensis,

ad diem IX. Septe: 1669.

boris locog̃ consuetis

Imprimebat Michaël Meyer.



••

QVÆSTIONES ANTI-CALVINISTICÆ
EX ARTICULO II. AUGUSTAN. CONFESS.
DE PECCATO ORIGINIS,
ET ANNEXIS DOCTRINÆ CAPITIBUS.

QVÆSTIO PRIMA.

An anima rationalis hodie creetur, vel generetur?

I.

CUM in Artic. II. August. Confessionis statim à principio dicatur, quod post lapsum Adæ OMNES HOMINES, secundum naturam propagati, NASCANTUR cum peccato, idq; de toto homine citra dubium, non de una saltem parte hominis, eaq; ignobiliori, videlicet corpore, sed etiā nobiliore, scil. anima, veniat intelligendū, ideo non immeritò qvæstio præsens hic ventilatur: & cum nasci, vel generari, συνεργός in hac causa dicantur, ideo juxta Confessionem Augustanam nobis affirmativa qvæstionis asserenda venit.

2. Negativa placet tum Papistis, ut est apud Bellarm. l. 4. de amiss. grat. Et statu peccati c. XI. §. Nec tamen: Nos subscribimus sententiae, quā docetur, hominibus singulis animas singulas non ex propagine, sed ex nihilo tunc primum creari, atq; infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti, atq; ad animationem præparati sunt: tum Calvinianis, qui communiter animarum Creationem propugnant, ut patet ex Beza, Martyre, Zanchio, Witakero, Aretio, Ursino, Bucano, Polano, Pareo, Keckermannno, Maccovio, Voetio &c; tum Syncretistis, sicut scribit Calixt. de Pecc. Orig. §. 66. Actio illa Dei, qua in corpore Embryonis, ad recipiendam animam disposito, animam CREAT, corporis, juxta naturæ ordinarium institutum & cursum, unionem ejus exigentijungit, è censu earum est, quas concursus prima cause cum secundis nominamus: & Horn. dissert. Theol. §. §. 59. & 60. Cum anima nostra natura sua spiritus aliquis sit, & incorruptibile quidquam, sicut scriptura diserte docet, non potest ex corruptibili semine, aut ulla tali materia, sed ex nihilo tantum fieri.

A

Ex se

Ex semine autem & corruptibili materia fiat utique necesse est, si per traducē oritur. Cum enim anima actu in semine non sit, ex potentia ejus educatur oportet, adeo & corruptibilis fuerit. Recte ergo dicitur, à Deo ex nihilo creari. Nobis hac vice cum Maccovio res erit, qvi in LL. CC. p. 240. seqq. multis hanc negati-
vam stabilire satagit.

3. Statu non questionis ita format D. Maccovius: An anima nostra eodem modo, quo anima Adami è nihilo creata, insprietur, an verò ex semine parentum, seu traduce propagetur? queritur: Nos statuimus, animam rationalem infundi in Embryonem, non quidem θυγαθεν ἐπεισέντω, ut vult Aristot. l. 2. de Generat. Animal. cap. 3. sed putamus, ab ipso DEO in ipso fatu & humani corporis rudimento formari. De quo statu duo monenda veniunt (1) qvod creationis assertores magis ad rem ipsam creationis, quam ad modum singularem creationis animae Adami respiciant, cum tamen hic Maccovius identitatem modi videatur urgere, qvod eodem modo, quo anima Adami è nihilo creata, hodie insprietur, de quo tamen ipsum inter se nō consentiunt. (2) Qvod ex semine propagari, & ex traduce propagari, juxta nostram orthodoxam sententiā, σύναρτος non dicantur, qvæ tamen h. l. D. Maccovius pro synonymis venditat. Nam licet nonnulli doceant, qvod vel ex semine, vel ex potentia materiae, rationalis anima traducatur, tamen ea non est orthodoxorum sententia, utpote qvi vel solum traducem, sine specificazione modi, communiter asserunt, cum non adeo facile definiri queat, qvmodo spiritus, vel anima spiritualis, generari queat, vel traductionem ab anima parentum fieri statuunt, cum spiritus ab Efficiente quidem generetur, sed ex materia non fiat, vel traductionem in semine, vel cum semine fieri confitentur, non autem ex semine fieri concedere volunt. Videat ergo Maccovius, qvo jure simpliciter hæc pro synonymis venditet, & nobis opponat.

4. Probat verò suam sententiam (1) Qvia DEus Pater spirituum dicitur. Moses certe Num. XXVII. 16. DEum sic affatur: Jehova, DEus spirituum omniscarnis, sibi dispiciat virum, quem cœtu ipreficiat. Et Apostolus Heb. XII. 9. sic inquit, corporum nostrorum Patres habuimus castigatores, & eos reveriti sumus:

mg: annon multo magis subjiciemur Patri Spirituum. Et vivemus?
Non temere est, quod Deus peculiari elogio nuncupatur Pater
Spirituum, ut opponatur Patribus carnis. Nam si anima
esset extraduc*i*, idem, qui sunt Patres carnis, essent quod
Patres Spirituum. Nec Deus hoc titulo a Patribus carnis di-
stingueretur, si proinde utrobiq; ageret, nec aliter animas for-
maret, quam corpora. Resp. (1) Sicut Jehovah, vel Deus, dicitur
Deus Spirituum omnis carnis, in locis citatis, ita pariter Deus uni-
versae carnis Jerem. XXXII. 27. disertis verbis dicitur: quemadmo-
dum autem inde colligere non licet, quod Deus hodie carnem o-
mnem immediate producat, ita pariter D. Maccovius colligere nec
debet, nec potest, quod Deus immediate hodie Spiritum omnem
creet ac insipret. (2) Si sola citata, vel alia planius evolvimus, &
rectius conferimus, idem creationis, vel conservationis opus in illis
DEO tribuitur. Num. XVI. 22. dicitur: אל אלהי הרוחות לכל־בשר
Deus spirituum universae carnis vir unus peccabit,
רוחות אלהי super omnem cætum irafervebis. Num. XXVII. 16.
רוחות אלהי Jehovah Deus spirituum omnis carnis, dispiciat
virum super populum. Jerem. XXXII. 27. ipse Dominus loquitur,
אֵנִי רֹוחַת אֱלֹהִי בְּכָל־בָּשָׂר
carni, snumquid à me occultabitur omne verbum? Ex quibus appa-
ret, quod vel primæ creationis, vel ortæ conservationis, ad Deum,
cum Patrem referatur, & ipsa res exprimatur, modus autem non
definiatur. (3) Dicta loqvuntur de Deo vel Patre, non quoad
immediatam productionem, utpote cuius nulla fit mentio, sed de
vera productione, quæ DEO, tanquam causa prima, rectissimè tribu-
tur. (4) Si Maccovius ita simpliciter Spiritum omniscarnis ad Deū,
cum Patrem immediatum, referre vellet, non tantum immediata
creatio rationalium, sed etiam aliarum animalium statuenda foret,
cum Deus spiritus carnis non humanae, sed universae dicatur: at
quod Deus immediatè quoq; brutorum animas, vel etiam vegeta-
bilium corporum, creet, illud haec tenus Patroni creationis affere-
re nondum sunt ausi. (5) Si textum accuratius inspicimus, & ma-
teriam substratam, ut & intentionem dicentis, & explicationem mon-
struli divini, vel alia, respicimus, non obscure colligere, licet, quod

hic loci non tam de spiritu naturali, quam supernaturali sit sermo.
Num. XI. 14. seq. legimus, qvod Moses, virorum afflictissimus,
diutius onus regiminis, murmura populi, vel alia infinita incom-
moda, solus sustinere non potuerit, ideo precibus desiderium su-
um Domino proposuerit; Non possum solus sustinere omnem hunc
populum, qvia gravior est mibi: sic mecum agis, obsecro, ut inter-
ficias me, si irveni gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Et
dixit Dominus (nim. Spirituum) ad Mosen: Congrega mibi septu-
aginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, qvod primates populi sint
ac prefetti, & duces eos ad ostium tabernaculi fæderis, faciesq; ibi
stare tecum, ut descendam, & loquar tibi, & auferam DE SPIRITU
TUO, tradamq; eis, ut sustinent tecum onus populi, & non tu solus
graveris &c: Confer. v. 24. 25 26. 28. 29. ubi certe Seniores spiri-
tum multiplicem acceperunt, & universum populum gubernarunt.
Sic igitur cum Moses Domini mandatum accepisset de morte sua
Num. XXVII. 12. 13. solicitusq; de Successore esset, sibiq; in memo-
riam revocaret, qvomodo superius universo populo Deus per
Spiritum distributionem perspexisset, in hac fide plenissima ver-
ba voluit erumpere: Provideat Dominus Deus Spiritum omnis
carnis, Virum, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & in-
trare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini,
sicut oves absq; pastore: statim responsum divinum accepit: Tolle
Josue, Filium Nun, Virum in quo est SPIRITUS DEI, & pone ma-
num tuam super eam &c: hic enim sufficere poterit suo Spi-
ritu universa multitudini, & præesse Senioribus omnib;, qui Spiritu
DEI repleti, tecum multitudinem hanc gubernarunt. Hac certe ra-
tione nihil in h. l. patrocinii Maccovius inveniret. (6) Locum
Heb. XII. 9. multi per bendiadyn exponunt Patri spiritum, i.e. Patri
spirituali. (7) Posito, qvod h.l. Ιό πνῆον sit attendendum, tamē Deus
spirituū Pater appellaretur, tum respectu bonorum angelorum, tum
respectu malorum angelorum, qvoad essentialē eorum produ-
ctionem & conservationem, tum respectu nostrarum animarum,
tum respectu spirituum naturalium reliqvorum: qvemadmodum
autem de reliquis dici nequit, qvod eorum sit Pater, respectu mo-
dernæ creationis, ita nec de nostris animabus afferendum, cum pri-
mis qvia simpliciter Pater, non autem Pater, vel autor immedi-
atus appellatur.

5. (II)



5. (II) Ex Eccles. XII. 9. qvi dicit, *corpus quidem solvi in pul-*
verem, Spiritū verò redire ad DEum, qvi dedit illum, qvod sa-
ne parum apposite diceretur, si DEus non aliter daret Spiritum,
quam corpus: profecto ista voce reditionis animæ ad DEum,
Salomo innuit animam à DEO esse profectam, & eo redire, un-
de habeat originem, qvod sane de corpore dici non potest. R. (I)
Qvod Salomon non ad modernam propagationem, sed ad primam
creationem respiciat, totus contextus apertè satis indicat: Sic enim
integer locus habet: *Revertatur pulvis in terram, unde erat, & Spi-*
ritus redeat ad DEum, qvi dedit illum. Jam hodie corpora non fi-
unt è terra, sed potius juxta Calvinianos ipbos, à parentibus, vel è
carne, seu corporibus parentum deducuntur, olim verò tempore
primæ creationis sic corpus de terræ pulvere formatum est Gen. II.
¶ & sic etiam anima fuit inspirata Adamo, & quidem immediate,
qvod facile largimur: sed hac ratione status controversie non at-
tenditur. (2) DEus Spiritum dedisse dicitur, non per novam crea-
tionem, sed per consuetam generationem, non per immediatam pro-
ductionem, sed per mediatam operationem, non per cœlestem infusio-
nem: sed per naturalem parentum propagationem, non per quoti-
dianam formationem, sed per primā omnipotentem benedictionem,
& sapientem ordinis constituti conservationem. (3) DEus omnino
non eodem modo dat animam, quo corpus, qvod facile concedi-
mus, qvia tum modus operandi, tum causæ secundæ status, tum ipse-
met effectus, diversitatem aliquam innuere videntur, non tamen
inde sequitur, qvod DEus immediatè creet animas, vel qvod in
immediata creatione modi diversitas consistat. (4) notum est, qvod
apud DEum temporis differentia non sit, qvod ergo fecit in pri-
ma creatione, dum Adamo spiritum dedit, illud etiam hoc tem-
pore dedisse dicitur, propter identitatem humanæ naturæ, non
autem inde creatio quædam immediata colligenda.

6. (III) Qvia eidem sententia fidem adstruit conceptio Chri-
sti in matris utero; cum enim secundum carnem non habuerit
Patrem, planum est ejusdem animam immediate à DEO crea-
tam. Qvod si, ut sit de stirpe Adami, necesse est habere ani-
mam traductam per paternum semen, Christus non poterit Fi-

filius Adami, nec Davidis appellari. Rq. (1) Eadem ratione quis colligere posset, Christi carnem etiam immediatè creatam: quemadmodum autem hoc Calviniani nondum hactenus asserere volunt, ita nec de *anima* tale quid colligere firmiter poterunt. (2) Exemplum Christi singulare, supernaturale & extraordinarium, vel miraculosum, quod nihil præjudicii communi naturæ regulæ potest asserre, qua de causa nec rigorosius urgeri potest. (3) Nulla consequentia, Christus secundum carnem non habuit Patrem, Ergo anima ejus immediatè creata fuit; nam dantur alii modi Deo possibles, non autem statim determinate modus creationis est definiendus: nam *Eva* peculiariter formata fuit de *costa Adami animata*, non autem *nova creatione animæ* opus fuit: sic etiam *corpus Christi* formatum ex *massa*, vel *carne animata*: cur igitur *nova creatione animæ* hic opus fuisset? (4) omnino verum est, si Christus non habuit animam traductam ab Adamo, vel Davide, non potest vel *Adami*, vel *Davidis* Filius appellari: sicut enim ad filiationem traductio corporis, sic etiam traductio animæ requiritur, quia totus homo *Filius* appellatur: absq; anima vero filius esse nequit. (5) Hinc potius invertimus argumentum. Si non habet animam ab Adamo, vel à Davide, non potest Filius *Adami*, vel *Davidis* appellari; imò sic nec *virginis* Filius appellandus erit, sed potius *DEI* dicetur, sicut *Luc. III.38*. dicitur de Adamo propter immediatam creationem, qui erat *DEI*.

7. (IV) *Quia neutquam homo idcirco dicendus est non generare hominem, et si animam ejus non generet, nec educatur anima de potentia semenis.* Satis enim est ad generationem hominis, quod generans, etiam si non dat substantia, dat tamen subsistentiam personæ, Et non tantum suppeditat materiam fetus, sed insuper suggerit dispositiones & aptitudines ad recipiendam formam, per quam homo existit. Nam cum, teste scriptura, *Virgo Maria sit mater Christi*, quantumvis Spiritus Sancti vis extraordinaria conceptionem perficerit, quis dubitet affirmare, hominem vulgo generare hominem, quando modis ordinariis & legibus naturæ omnia geruntur. Rq. (1) *Qualis homo est sine anima*, talis etiam est generatio hominis sine anima: jam autem homo sine anima non homo, sic etiam generatio hominis sine anima est generatio Non-hominis, & sic Calviniani homines erunt non-homines.

(2)



(2) *Eduatio animarum de potentia seminis nullum cum orthodoxa sententia commercium habet, nos enim generationem propagacionem, vel traductionem animæ statuim, eductionem animæ de potentia seminis rejicimus.* (3) *Generare hominem, & non dare substantiam hominis, infert contradictionem, qvia homo nihil aliud est, quam substantia hominis, adeoq; non dare substantiam hominis, vel non generare substantiam hominis, nihil aliud est quam generare non hominem.* (4) In humanis aliud est *substantia hominis*, aliud *subsistentia hominis*, qvia juxta Calvinianos etiam subsistentia humana potest abesse à substancia hominis, qvod exemplum humanæ Christi naturæ demonstrat, qvæ perfecta substantia hominis, nec tamen, ullam subsistentiam humanam, vel propriam possidet, sed in subsistentia τὸ λόγος subsistit: & falsum est, qvod hominem magis ex *subsistentia*, quam ex *substantia* æstimare possimus, cum non *subsistentia*, sed *substantia* ex partibus essentialibus constituatur. (5) Non sufficit ad generationem hominis *materiae suppeditatio*, vel *dispositionum quarundam suggestio*, sed potius requiritur ipsius *esentiae generatio*, qvæ constat ex *materia & forma*, adeoq; sic utraq; pars communicatur, qvando totus homo generatur. (6) *Maria mater Christi nuncupatur, qvia totam substantiam ex Maria DEI Filius assumit, non tantum ratione materiae, neq; tantum ratione dispositionum mater est, sed respectu totius Filii, qvia Filium concepit & peperit Esa. VII.14. Luc. I.35.* Filius autem non est *materia hominis* multo minus *dispositiones materiae Filii nomine venire possunt, sed homo totus, anima rationali & humano corpore constans, Filius appellatur.* (7) *Spiritus Sanctus non ὁλικῶς, sed ἀνυπεγνωμῶς, non essentialiter, sed efficienter, non intrinsece constituendo, sed extrinsecus formando, vel operando, Christi conceptionem perfecit.*

8. Idem D. Maccovius Coll. de stat. prim. hominis ante lapsū plura fundamenta suppeditare conatur, pro stabilienda sua sententia, qvæ productis etiam adjiciemus. Probat igitur (1) ex Esa. LVII. *Spiritus à facie mea inducit hominem, & animas ego facio.* Resp. (1) si contextum conferimus, potius est *Evangelica* qvædam *promissio*, quam *historica* de *creatione animarum testificatio*: sic enim integra verba legunt: *Non in sempiternum litigabo, nec usq; ad finem irascar, qvia Spiritus à facie mea egredietur, & status ego faciam.* Osiander addit: *Est promissio de Spiritu Sancto, in die Pentec-*

Pentecostes mittendo. Luth. Es sol von meinen Angesicht ein Geist weben/und Ich wil Odem machen Glos. marg. Ich wil die Be-krübten erquicken/ daß sie wiederumb einen frischen Muß haben sollen. (2) Alii cum nonnullis Rabb. locum de resurrectione mor-tuorum explicant. R. David. in lib. radic. Quia Spiritus egredietur à facie mea, quia operiet hominem, induetq; illum. Et indi-cat hoc resurrectionem mortuorum: quia spiritus, quam-qvam est intrinsecus, tegit tamen operitq; illum. Quippe absg; illo instar lapidis est. (3) Hcbr. est præter. וְיָרַשׁ feci, qva ratione respectus ad primam creationem innuitur, si de creatione animæ, locus exponitur (4) si quis locum de productione moder-na spiritus exponit, verba secundum substratam materiam intel-ligenda veniunt, nimirum non de extraordinaria, sed ordinaria, non immediata, sed mediata, non supernaturali, sed naturali productione.

9. (VI.) Ex Zach. XII. 1. Dixit Jehova, extendens cæ-los, & fundans terram, & formans Spiritum in interiori ejus. Resp. (1) si reliqua membra prophetici testimonii conferimus, de prima creatione, non de quotidiana operatione DEI sermo fieri dicitur: nam in prima creatione. (a) extendit cœlum Gen. I. 7. (b) fundavit terram v. 9. (c) fixit Spiritum hominis c. II. 7. unde si fontes consulimus, apud Zachariam יְצַר appellatur, qvæ radix etiam in prima hominis creatione reperitur Gen. II. 7. (2) Et hinc etiam Deus dicitur, formans Spiritum ■־־־־־ Adam, vel unius hominis, non in plurali hominum, cum unius saltem hominis spir-itum immediate formarit, reliqvorum generationem sua bene-dictione Gen. I. 18. promoverit. (3) posito. qvod de quotidiana pro-ductione locus explicari queat, tamen absolute tantum appellatur, fingens Spiritum hominis, non autem immediate formans nuncu-patur: à formatione Spiritus autem non licet ad immediatam for-mationem argumentari,

10. (VII.) Ex Psal. XXXV. 15. Formavit sigillatim corda eorum. Resp. (1) hic locus in Psal. XXXV. 15. non comparet. (2) loquitur de cordibus, non de animabus: cor autem ad mem-bra corporis pertinet, non autem essentiam animæ infert. à (2)
forma

formatione non licet ad immediatam formationem, vel etiam creationem argumentari.

11. (IX) Ex Num. XXVII. 16. Heb. XII. 9. Eccles. XII. 9.
Sed ad hæc loca superius est responsum: hic igitur actum agere nolumus.

12. (IX) Ex Eve creatione, quia exemplum habemus in creatione fœminæ, quæ facta est sine traductione animæ viri. Deus ad unitatem speciei non judicavit, necesse esse unam animam ab altera promanare. Resp. (1) Ex Eve exemplo potius contrarium colligitur, quia creata fuit ex costa animata, non inanimata, vel mortua, quia de causa nec nova inspiratione rationalis animæ fuit opus, utpote de qua silentium altum apud Mosen in descriptione creationis Eve reperitur. Aut igitur Eve de novo creatam, vel inspiratam animam, vel ipsam Adami animam, vel animam ex ejus anima traductam, vel accensam accepit: non de novo creatam, quia Moses hujus nobilissimæ creationis citra dubium mentionem fecisset, & cum aliâs scrupulosè singula circa formationem Eve notaverit, & ipsas quoq; circumstantias adduxerit, creationem animæ nullatenus neglexisset, si de novo quædam anima creata fuisset: nec animam Adami suscepit, quia sic Adam animatus non mansisset: manet igitur quod animæ traductio sit statuenda. Hinc. (2) negamus quod Eve creatio facta sit sine traductione. Agnoverunt hoc jam olim veteris Ecclesiæ Doctores, teste August, lib. I. de Orig. anim. c. 17. Illi, qui propaginem asserunt animarum, hinc se putant invictius suam munitre sententiam: cum scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri, eamq; adificasse in mulierem, non est additum, quod in ejus faciem sufflaverit flatum vitæ, ideo inquiunt, quia jam de viro fuerat animata. Nam si non fuisset, nequaquam nos, inquiunt, sacra scriptura ejus rei cognitione fraudasset. Ad illud vero, quod ait Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: nec ait, Spiritus, de Spiritu meo, vel anima, de anima mea: sic ab eis responderi potest, quemadmodum superius demonstratum est, ut à parte totum intelligatur hoc dictum, os & caro mea, sed quæ ANIMATA fuerint detracta, NON MORTUA. Neg, enim

B

bog



hoc omnipotentem facere potuisse, ideo negandum est, quia nullus hominum potest aliquid cum anima de humana carne praecidere. Nam quod Adam secutus adjunxit: Hæc vocabitur mulier, quia de viro suo sumta est: cur non ait potius, unde opinio confirmaretur istorum, quoniam de viro suo CARO ejus sumta est? Hic utique illi, qui contra sentiunt, possunt dicere, quia non est scriptum CARNEM mulieris, sed MULERE M de viro sumtam suo, totam debere accipic cum anima & Spiritu. Nam et si anima sexu caret, non tamen, quando appellantur mulieres, excepta anima, eas necesse est intelligi: immo ne possunt quidem mulieres dici, excepta anima, quæ præcipua est pars hominis. (3) licet respectu DEI non fuerit necessarium, unam animam ab altera promanare, tamen juxta præixin creationis, Deus sapientiae suæ consentaneum judicavit, unam animam ab altera deducere, quia hoc ex jam dictis satis apertum.

13. (X) Quia eidem sententia & fidem adstruit concepcionis Christi in matris utero: cum enim secundum carnem non habuerit patrem, planum est, ejus animam à Patre non fluxisse. Quod si, ut sit de stirpe Adami, oportet habere animam traductam à Patre: Christus non poterit filius Davidis, nec Adami appellari. Nempe ut censearis esse filius istius Patris & Matris, satis est traduci materiam cum dispositionibus & potentia proxima ad recipiendam animam. Resp. ad hoc etiam jam antea fuit responsum: hic saltem addim⁹, quod evideat Christus non habuerit secundum humanam naturam Patrē, à quo rationalē animam accipere potuerit, quod tamen veram habuerit matrem, à qua totam substantiam, quoad corpus non tantum, sed etiam quoad animam acceperit.

14. Hæc potissimum ex sacris literis & mysteriis sacris pro sua sententia D. Maccovius urgere voluit, nunc etiam ex ratione quædam argumenta producere satagit (1) quia Anima, quæ est supra materialē Elementarem, non potest lege communi cum ceteris rebus natura-

naturalibus generari. Resp. (1) *Anima* h.l. non ut separata, vel ut spiritus, sed potius in *physica*, tanquam pars præcipua hominis, vel ejus *forma*, consideratur, adeoq; naturam totius æmulator. Ut igitur cum *Anima* naturale corpus animatum constituit, ita qvoq; proprietates corporum naturalium animatorum admittit. (2) Quid *D. Maccovius* per legem communem intelligat, clarè satis non exprimit: Si naturam ipsam, ceu legem communem, divinitus institutam, attendit, male vel *hominem*, vel *præcipuam* ejus partem à *naturæ* lege sejungit: nobilissima dicitur hominis natura, juxta quam homo nascitur, vivit, & alias proprietates humanas admittit. (3) Cum generatio sit totius corporis naturalis, nullatenus apparet, qvomodo Patroni partis adversæ rationalem animam ab hac generatione totius eximere velint. Nam in generatione totius partium generationem esse concedendam, apertissimæ veritatis est.

15. (II) *Qvia substantia immaterialis non potest educi de potentia materiae.* Resp. (1) concedendo totum, qvia nec inductionem, nec educationem vel ex materia, vel è potentia materiae, sed potius traductionem nos asserimus. (2) malè proinde confundit adversarius, qvæ diversissima sunt: (3) licet immaterialis substantia non poscit è potentia materiae educi, tamen generari potest, quam generationem nos confitemur, à generatione vero simpliciter, ad generationem ex peculiari modo educationis è potentia materiae colligere, non nisi sophistarum esse dicitur.

16. (III) *Omnino, si generaretur anima cum corpore,* Et traduceretur per materiam, nec perse sola subsistere potest: nam quod pendet à materia qvoad fieri, ab eadem pendet qvoad existere, ut docet Thomas summa part. I. quest. 90, artic. 2. ad 2. Resp. (1) Qvod anima generetur cum corpore, satis certum, qvia totum, vel totus homo generatur: totum autem ponere sine partibus, est ponere non totum. (2) Traduci per materiam dicitur ambigue vel συγαλικῶς seu constitutive, πρωτητῶς originaliter, aut ποιητῶς, vel effective, qvod citra dubium Maccovius nobis affingit, quando semper nobis objicit, qvod ex materia, vel ex potentia Materie, juxta nostram sententiam, anima educatur; vel

Concupiscentia subjective, concupiscentia communicativa, & concupiscentia vel passive, quâ ratione, sano sensu, per materiam anima propagatur.
(3) *Nulla consequentia, qvia anima generatur cum corpore, non ad interitum, sed ad vitam: per accidens autem fit, ut homo propter peccatum moriatur: ideoq; anima separata non vivit, aut subsistit in statu naturali, sed præternaturali, qvæ neutiqvam inter se pugnare dicuntur.*

17. (IV) *Qvia, qui volunt animam tradi, incidunt in laqueos insolubiles. Nam cur anima matris non proinde truduceretur in Filium ac Patris? Qvod si volunt, animam filii à duabus animabus tradi, necesse erit, ut duæ animæ in unam coalescant, & misceantur. Resp. (1) dicuntur insolubiles laquei, sed ex falsis hypothesibus in se neutiqvam insolubiles sunt. (2) Orthodoxi nec Patris, nec matris animam tradi statunt, nec utriusq;, qvia parentum uterq; suam animam retinet: sed potius ex benedictione divina in generatione anima peculiaris, & distincta à parentum animabus producitur: rem hic novimus, modum nescimus, qvia naturæ mysterium est. (3) Nullam vel coalitionem, vel missionem, vel compositionem, metuere necessum habet, qui considerat animam spiritum esse, materialis coalitionis & missionis expertem, & non ex animabus parentum animam prolis materialiter componi, sed ab iis, tanqvam causis efficientibus tradi.*

18. (V) *Quid autem fiet tot seminibus irritis, que non pervenient ad conceptum? an totidem animæ humanae intercedent? an in utero suffocabuntur? an sole permanebunt absq; materia? cum certum sit, eas ad numerum hominum non pertinere? Resp. (1) irrita semina tantum irritum suppeditant argumentum, cum non perveniant ad conceptum, adeoq; nec fœcunda sint, nec animata fieri possint, cum in conceptione, non extra conceptionem fiat generatio. (2) nullus metus interitus animarum, cum animæ sint spiritus immortales, adeoq; mortis expertes. (3) anima in generatione vera non est absq; materia, sed forma cum sit, cum materia generatur, qvia totum generatur. Accidentia qvæ sunt, essentiam mutare nequeunt.*

19. (VI)

19. (VII) *Hū adde, qvod necesse sit, vel totam animam Patris transmitti, ut sic Pater fiet ex animis, vel portionem animæ, & hic anima erit divisibilis.* Resp. (1) nec tota Patria anima, nec pars ejus transmittitur, sed potius ab anima Patris & matris, tota qvædam anima traducitur. (2) *Dist. inter traductionem essentialē & causalē:* anima patris & matris non essentialiter traducuntur, sed causaliter traducunt animam infantis.

20. (VII) *Nec verò potest anima sic transmitti, ut cum lumen acceditur de lumine: nam ejusmodi propagatio fit transmutatione admotæ materiæ, non verò traductione flammæ.* Ineptum esset arbitrari materiam aliquam admotam animæ generanti, verti in materiam generati. Resp. (1) de re saltem verba facimus, non de modo: nam rem scimus & credimus, modum ignoramus (2) *traductio luminis simile* qvoddam est, non verò simpliciter *idem* *modi* hic urgenda venit: similia namq; suo modo similia sunt, & suo modo dissimilia.

21. (IX) *Qvod si vera est definitio Aristot. l. 2. de Anim. c. 1. Animam esse primum actum, sive ἐντελέχεια corporis organici, vitam habentis in potentia, non potest anima informare semen, in quo nulla sunt organa.* Resp. (1) de hac Aristotelis definitione, ejusq; explicatione, maxime variant Interpretes, qvorum D. Macovius approbet sententiam, non exponit. (2) *Definitio loquitur de statu essendi, non de modo fiendi,* de quo nobis sermo. (3) *Dist. inter semen secundum & infæcundum in hoc nulla, in illo sunt organa, non actualiter, sed radicaliter, & ipsa forma, vel anima, sibi mox organa formare dicitur.* Reliqua, qvæ contra qvasdam objectiones excipere voluit, ex dictis facile solvuntur.

QVÆSTIO SECUNDA.

An neg̃ per corpus, neg̃ per semen, neg̃ per aliquid in semine peccatum Originis propagetur?

1. *Qvod peccatum Originis verè propagetur, ex sacris literis notissimum, & alibi demonstratum: ipsa Confessio Augustana*

disertis verbis id profitetur, qvod post Ad*e* lapsu*m* omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato: Sed Calviniani statuunt, hanc propagationem [1] non propriam, sed metaphoricam esse, sicut scribit Scharpius p. 244. Proprie loquendo peccatum non propagatur, cum non sit generabile, sed locutio est metaphorica &c. (2) moralē, non physicā, Maccov. in π. ψ. p. 9 Peccatum originale dici à parentibus in sobolem nond propagari. i.e. Physice id non fieri, sed moraliter, i.e. per imputationem delicti Adami & Evae. (3) non naturalem esse, sed imputatam, Maccov. d.l. p. 34. Peccatum originale ex Adamo in omnes homines naturaliter non propagatur, sed per imputationem derivatur &c:

2. Nobis impræsentiarum cum Scharpio res erit, qvi in Curs. Theol. tom. 1. Art. de peccato c. 13. multis de propagatione peccati disputat, inter alia scribit p. 243. Nos dicimus, nec per corpus, nec per semen, nec per aliquid in semine, peccatum originis propagari. Probat suam sententiam seqq. argumentis (1) Si anima trahit corruptionem, qvia jungitur cum impuro corpore, tum non potest Deus excusari, qvin sit peccati autor, qvia puram animam cum impuro corpore jungit: at posterius absurdum: Ergo & prius. Resp. (1) nititur falsa hypothesi, qvod anima creetur immediate, qvod præcedenti qvæstione refutatum. (2) anima suam impuritatem non tam habet ex impuro corpore, qvam ex impura origine, qvia anima proliſ ab animabus parentum oritur, à quibus esse suum conseqvitur: at illæ sunt impuræ, ergo pariter anima genita dicitur impura. (3) qvod h. l. fatetur Scharpius illud aliis Calvinianis, & assertoribus creationis animarum opponimus, nim. Deum excusari non posse, qvin sit autor peccati, si puram animam crearet, eamq; cum impuro corpore conjungeret.

3. (II) Si anima à corpore corruptionem trahit, tum qvod est immortale, & Spiritus à mortali corpore potest corrupti. At posterius est absurdum. Ergo & prius. Resp. (1) dist. inter corruptionem essentialē & accidentālē; non accidentalis, sed

sed *essentialis* corruptio immortali Spiritui repugnat, cum sit in-
corruptibilis. (2) anima non trahit à corpore corruptionem ori-
ginalem, sed potius à corrupta generatione, cum anima peccato
infecta, vel corrupta, non possit non generare spiritum purum, &
à peccati labore ptorsus immunem. (3) præsupponitur iterum *hypo-*
thesis falso, qvod anima creetur, & post immediatam creationem
impuro corpori infundatur. (4) non est absurdum, qvod spiritus
accidentalem corruptionem & iniquationem à corpore suscipiat,
licet *essentialiter* à corpore corrumpi nequeat.

4. (III) Si per corpus, vel semen peccato originis infectum
traducitur, ita ut per corpus l. semen anima inficiatur, tum pec-
catum originis erit in corpore solo, l. semine solo, nemo enim
dat, qvod non habet. At posterius absurdum: Ergo & prius.
Assumptio autem (nempe in corpore vel semine solo non esse pec-
catum originis, sic probatur (a) Si in corpore solo, aut semine sit
peccatum originis, tum in solo corpore poterit esse imago DEI,
qvia habitus & privatio sunt in uno subiecto; At posterius ab-
surdum. Ergo. (b) Si peccatum esset in solo semine, aut corpo-
re, tum recte dici posset corpus, l. semen esse peccator, & legem
esse semini, vel corpori datā, qvia lex est data peccatorib⁹ 1. Tim.
1. 9. At ista sunt absurdā. Ergo. (c) Si in solo semine, aut corpore
esset peccatum, tum solum corpus, aut semen obnoxium esset con-
demnationi, qvia peccat; & posset credere, pænitentiam agere,
redimi, salvari &c: qvia qvod peccat, salvari potest: At ista ab-
surdā: Ergo. (d) Peccatum & mors non dicuntur transmitti,
nisi in homines Rom. 5. 12. at nec semen, nec corpus est homo,
sed compositum ex anima & corpore: Ergo ante conjuncti-
onem animæ cum corpore nec in semine, nec in corpore est
peccatum.

5. Resp. (1) jam dictum, qvod anima non *ex corpore*, nec
ex semine, sed *ex peccaminosa origine* inficiatur. adeoq; semper fal-
sa supponit, ut eo facilius sententiam suam stabilire possit: hæc
autem jam aliquoties discussa fuerunt: nam & *in semine* datur
infectio, qvia *semen impurum* disertis verbis Job. XIV. 4. dicitur:
& qvod ex semine dicitur *corpus*, est infectum peccato, & qvæ
cum semine communicatur, & in corpore comoratur anima, pee-
cati ori-

cati originalis sedes est. (2) male exclusive adducuntur, qvæ inclusive intelliguntur: nec enim solo corpori, nec solo semini peccatum orriginis attribuendum. (3) De semine, non animato, vel *fæcundo*, sed de *inanimato*, vel *infecundo*, verba facit, cum tamen ejusmodi massa nihil minus sit, qvam *semen*: nam *semen verum à seminando* dicitur, adeoq; *fertilitatem* respicere videtur, qvæ de causa, tam *forma*, qvam *materia* præsens reqviritur, cum sine *forma* nullum *semen formaliter* tale recte dicatur. (4) Licet in *prosyllogismis* unum vel alterum moneri possit, tamen, qvia sententiam nostram non feriunt, nihil nunc de his addimus.

6. In *responsione ad Objectiones* etiam unum, vel alterum urgere videtur. (α) qvod *proprie loquendo* peccatum non propagetur, cum non sit generabile, sed locutio sit *metaphorica* Resp. (1) peccatum non est generabile *substantialiter*, est tamen generabile *accidentaliter*, h.e. non est *subjectum generationis*, sed potius *adjunctum generationis*. (2) sive peccatum dicatur *propagari*, sive *compropagari*, sive alio respectu *propagatio peccati* exprimatur, ejus rei parum interest, in verbis simius faciles, modo in rebus consentiam: *veritatem propagationis* intendimus, non *modum propagationis* hic attendimus. (3) falsum est, qvod peccatum *proprie* non propagetur, sed qvod *locutio tantum metaphorica* sit, nam qvicqvad *proprie & secundum se, vel rei veritatem, de causa in effectum traducitur*, illud etiam revera, vel *proprie propagatur*: at de peccato verum prius: nam per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors; Rom. V. 12. sicut igitur *mors & morbi* propagantur, sic etiam *peccatum* propagari dicitur.

7. (β) *Qvia ante communicationem animæ cum corpore, nec anima, nec corpus esse posit subjectum peccati.* Resp. præsupponitur *hypothesis falsa*, qvæsi multo tempore post generationem anima demum vel educatur è potentia materiae, vel inducatur, vel infundatur &c: qvod falsum, qvia *generatio totius corporis naturalis est generatio: totum verò si generatur, seqvitur, qvod materia cum formal. forma cum materia statim adesse dicatur, adeoq; totum etiam hoc, subjectum peccati dici, vel esse potest.*


00 A 6436

ULB Halle
004 931 300

3



KD 18



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches

STANÆ CONFESSIO
NDO,

ORIGINI
um Theologic
ANIS OPPOSITAM,
RÆSIDIO

R I
Magnifici, atq; Amplissimi

DEUTSCHMANNI

em Facultatis in Celeberrima
eleberrimi, ut & Electora-
Ephorigravissimi,

*Præceptoris filiali cultu
lisimi,*


ationi subjicit

ES SCHEDIUS

ensis,

Septe: 1669.

consuetis



ichaël Meyer.

XXVII